

nam iniquam injuste adjudices, eumque justitios. Sic enim in Proverbiis Salomonis nonnullae sententiae ab eorum collectore transpositae sunt, ut patet *Proverb.* xxv, 1, ibique docet nos Salazar.

Secundo, Graeca magis hunc innuunt sensum, q. d. In lege Dei nihil est ignorandum, aut negligendum; sed tam parva ejus praecepta, quam magna faciendae et opera exercenda sunt. Addit hoc, ne quis liceat, quod vulgus dicit: Verbum est verbum, non verber: verbum non hominem, sed aërem verberat et transvolat: ergo parvum est peccatum, si verbo susurrem, aut detraham proximo, modo aliam realem injuriam ejus corpori vel bonis non inferam. Huic respondet nihil in lege Dei esse ignorandum, nec omittendum: rursum, tam parva quam magna legis praecepta cognoscenda esse, et magni aestimanda, etiamsi vulgus parum ea cognoscat, parvique ea pendat: quia saepe, quae hominibus parva videntur, magna sunt apud Deum, et in judicio Dei, qui justus est aestimator rerum omnium, praesertim vitiorum et virtutum, gravia censentur. Tale est susurratio et detractio, quam homines parvi, sed Deus magni aestimat: detractoris enim verbum verberat proximi famam; ideoque ei saepe plus nocet quam verber corporis. Huic sensui textus Graeci aptari potest versio Latina, si pusillum et magnum accipias in genere neutro, non masculino, q. d. Non tibi sufficiat juste sentire et judicare de rebus magnis; sed conare et stude, ut etiam de iis quae parvae videntur, vel parvae revera sunt, juste sentias, justumque judicium feras. Ita Jansenius. Verum hic sensus obscurior est, et a Vulgata Latina alienior.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Apposite a susurrone transit ad amicum et amicitiam; ut enim ostendat quantum malum sit susurratio, describit quantum bonum sit amicitia: hoc enim aufert susurro. Igitur est hic insigne encomium verae amicitiae, usque ad vers. 18. Inde ad finem docet, quam sit ardua sapientia, quantoque nisu et studio prosequenda: inter exteriora enim bona principem locum tenet amicus et amicitia. Quocirca in inferno, ubi nullum est bonum, sed omne malum, nulla est amicitia, sed omnium inter se inimicitia et hostilitas: tam enim demones, quam damna, invicem impropertant, conviciantur et maledicunt.

1. Noli fieri pro amico inimicus proximo: impropertium enim et contumeliam malus aëreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. 2. Non te extollas in cogitatione animae tuae velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, 3. et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinqueris velut lignum aridum in eremo. 4. Anima enim nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, et deducet in sortem

Tertio, Syrus veritit, *multum sive parum ne noceas*; Vatablus, *sive magnum, sive parvum, ne quid imperite committas, q. d. Ne imperite, imprudenter, inique agas quippiam, sive parvum illud sit, sive magnum: ne sinas te capi ignoratione rerum et imprudentia, sive parvae illae sint, sive magnae. Palaeus, justifica opera tua, sive parva, sive magna. Nihil, nec magnum, nec parvum, inique aut injuste peregeris. Sane in hoc consistit hominis et virtutis perfectio, si omnia sua opera, etiam minima, ad justam rationis, legis et honesti normam mensuret, si ea aequissima Dei voluntatis regulae adaequet, si ad Christi et Sanctorum vitae libellam ea exigat. Justum enim dicitur, quod suae regulae, suae legi, suo exemplari est commensum, et quoad fieri potest, adaequatum. Justus vero est, qui omnia sua opera, quoad humana infirmitas potest, ad justitiae et virtutis normam melitur et componit. Quare justus parva non negligit, sed diligenter curat, ut justa sint, sciens id sibi decori esse, ac ex parvis gradum fieri ad magna; imo parva, si iterentur et multiplicentur, fieri magna: de qua re plura dixi *Zachar.* cap. iv, 10, et dicam inferius cap. xix, 1. Sapuit hoc Sponsa, cujus proinde decus admirans Sponsus, ait *Cantic.* vii, vers. 1: «Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!» Et merito. Si enim sponsa mortalis sponsi, ut ei placeat, ad speculum faciem, vestes totumque habitum per multas horas componit, ut nullus in ea naevus, nil vel minimum indecens aut incompositum appareat: quid non faciet, quid non componet sponsa Dei, sponsa Christi?*

impiorum. 5. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos: et lingua eucharis in bono homine abundat. 6. Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. 7. Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei. 8. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. 9. Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam: et est amicus, qui odium, et rixam, et convicia deaudabit. 10. Est autem amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis. 11. Amicus, si permanserit fixus, erit tibi quasi coequalis, et in domesticis tuis fiducia-liter aget. 12. Si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam. 13. Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende. 14. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. 15. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti, contra bonitatem fidei illius. 16. Amicus fidelis, medicamentum vitae et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum. 17. Qui timet Deum, aequè habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit amicus illius. 18. Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. 19. Quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. 20. In opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. 21. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors. 22. Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam. 23. Sapientia enim doctrinae secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. 24. Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum. 25. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. 26. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus. 27. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus. 28. Investiga illam, et manifestabitur tibi; et continens factus, ne derelinquas eam. 29. In novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem. 30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriae. 31. Decor enim vitae est in illa, et vincula illius alligatura salutaris. 32. Stolam gloriae indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. 33. Fili, si attenderis mihi, disces; et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris. 34. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam; et si dilexeris audire, sapiens eris. 35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te. 36. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exerat pes tuus. 37. Cogitatum tuum habe in praesentis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto: et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiae dabitur tibi.

PRIMA PARS CAPITIS.

ENCOMIUM AMICITIAE.

NOLI FIERI PRO AMICO INIMICUS PROXIMO, — *sul-* linguis); haec enim pendent et deducuntur ex his ando, et occulte ei detrahendo ac nocendo, quae dixit de susurrone. Unde Rabanus iisdem accessit et sequitur (dum ait, «invidus et bi-

imum, imo librum secundum Commentarii inchoat vers. 5: « Verbum dulce multiplicat amicos. » Causam subdit:

IMPROPERIUM ENIM ET CONTUMELIAM MALUS (iniquus) HAEREDITABIT, ET OMNIS PECCATOR INVIDUS ET BILINGUIS. — « Et, » id est praesertim (sic dicitur: « Dicite discipulis ejus, et, id est praesertim, Petro, » quasi primo et capiti caeterorum, *Marc. XVI, 7*), *q. d.* Omnis malus, velut justam malitiae suae sortem, et poenam illi debitam haereditabit probrum et contumeliam; sed praesertim eandem haereditabit peccator invidus et bilinguis, qui scilicet ex invidia et dolo clam amico detrahit et nocet. Hinc Graeca habent: *Sic est peccator bilinguis, ut scilicet susurrando pro amico fiat inimicus, ideoque improperium et contumeliam haereditet. Unde Complut. addunt: sic peccator bilinguis ignominiam habebit. Et Syrus incipiens a versu ult. cap. praeced. sic necit et vertit, multum sive parum ne noceas; et pro amico ne fias inimicus, ne nomen malum et ignominiam haereditet: et (quia) opprobrium et peccata super eum qui ambulat in ductibus, id est, super bilinguem et susurrone.*

Taxantur ergo hic illi, qui instar polyphi mentem et vocem variant, ac nunc se amicos, nunc inimicos exhibent: quales compares paliuro, qui, teste Plinio lib. XIII, 19, fructum dat succosum et vinosum, ideoque jucundum palato; sed quia spinosus, pungit manum. Sic enim et hi nunc mulcent, nunc pungunt: « Ut ibi inveniatur dolor, ubi putabatur auxilium, » in *Michaeae* cap. VII, vers. 4.

Robertus Nolkot, natione Anglus, professione Dominicanus, qui sub annum Domini 1349, scripsit in septem prima capita Ecclesiastici, aliter hanc gnomen explicat, *q. d.* Ut amico gratificeris, noli quem alium proximum laedere, eique fieri inimicus: tum quia nullius amici causa facienda sunt mala, nec amicitia permittit injuriam tertii; tum quia pejus est unum efficere inimicum, quam plures facere vel servare amicos. Amicus enim cito beneficii obliviscitur; inimicus autem injuriae semper erit memor, eamque ulniscetur. Quocirca sapienter Pericles, rogatus ab amico, ut sui causa pejeraret, respondit: « Amicus sum, sed usque ad aras. » Amicus enim ab amico nil debet petere iniquum; et si petat, rejiciendus est. Hinc et illud Sapientis monitum: « Ita multis prosis, ut ne vel uni obsis. » Verum prior sensus est genuinus, ut patet et dictis.

2 et 3. NON TE EXTOLLAS IN COGITATIONE ANIMAE VELUT TAURUS; NE FORTE ELIDATUR VIRTUS TUA PER STULTITIAM, ET FOLIA TUA COMEDAT, ET FRUCTUS TUOS PERDAT, ET RELINQUARIS VELUT LIGNUM ARIDUM IN EREMO. — Versu praeced. vetuit dolum et hypocrisin: hic vetat animositatem et fastum, qui aequo ut dolus nocet proximo, et amicitiam dissolvit et evertit. Ita Rabanus. Sensus ergo est, *q. d.* Ne te extollas per cogitationem animae, id est, animositatis tuae, ut putes te omnia posse

instar tauri, qui animositate sua caetera pecora et pecudes fugat, sternit et exagitat: quia sicut taurus cornupeta vel a feris, vel ab heris ligatur, concluditur, maclatur, itaque virtus, id est, animositas ejus eliditur: ita pariter virtus, id est, fortis animositas tua elidetur per stultitiam, eademque consumet folia tua, id est, ornatum et gloriam tuam cum omni fructu tuo, perinde ut taurus solet discerpere plantarum folia et fructus, quibus ipse cum caeteris armentis vesci poterat et debebat, ut animam, id est vitam, conservaret. Porro: « Ne sufficere nobis credamus, inquit Rabanus, si extollentiam vitemus, in actu, dicit: Non te extollas in cogitatione animae tuae; Deus enim inspector est cordis, et non secundum faciem, sed secundum veritatem unumquemque dijudicat; quem nemo potest per hypocrisin fallere, quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus: qui si interius animae cervicatum ac tumidam cogitationem conspexerit, non ei placebit, sed allidetur virtus ipsius superbi per stultitiam elationis, et folia verborum ejus sunt vacua, et fructus operum inutiles, et velut lignum aridum non habens viriditatem dilectionis, inter steriles iniquorum actiones deputabitur. »

Hunc esse sensum patet ex Graeco; sic enim habet: *ne efferaris ob consilium animae tuae, ne quasi taurus anima tua discerpas te; id est, ne ut taurus plantas solet discerpere, ita tuum te perdas consilium; depascatque folia tua, deinde fructus tuos disperdat, et velut arborem destituat aridam.* Ita Tigurina, licet Complut. et Romana legant in secunda persona, *depascas, disperdas, destituas*; sed eodem redit sensus. S. Ephrem, *Paranesi* 26, sic legit: *ne te extollas in cogitatione animae tuae, ne abripiatur velut taurus anima tua; fructus tuae comedentur, et fructus tuos perdes; Syrus, ne tradaris in manus animae (animositatis) tuae, ut non quaeras sicut taurus fortitudinem tuam. Folia tua decidere facies, et fructum tuum comedes, et seres te tanquam arborem aridam, quia anima crudelis disperdet dominum suum.*

Alludit ad historiam Nabuchodonosoris, qui suo imperio et robore fretus, sese extollens ut taurus, hac sua stulta superbia elisus, et mutatus est in bovem et taurum, ut quasi amens et brutus regno pelleretur, et ablegaretur in sylvas ad bestias. Haec stultitia ejus folia et ramos dejecit, quia splendorem regium illi abstulit. Eadem fructus ejus perdidit, scilicet, omnia opera regia et tot regnorum administrationem. Denique eadem illum miserum et squalidum affecit, velut lignum aridum in eremo, destitutum scilicet, omnibus amicis, familiaribus, subjectis omnique humana ope et solatio. Lege *Danielis* cap. IV, et videbis omnia huic loco Siracidis ad amissim congruere et respondere.

Huc facit apologus Aesopi illo aeo celebris (Aesopus enim ducentis annis Siracidem antecessit, ejusque prudentes mythi et apologi fuere

celebres, et omnium ore triti) de asino et leone. Cum asino, inquit, gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamavit, et leo aiunt enim galli vocem timere) fugit. At asinus, ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem. Ut vero procul hunc persecutus est, quo non amplius galli perveniebat vox, conversus leo devoravit asinum. Hic vero moriens clamabat: Me miserum et dementem! Ex pugnacibus enim non natus parentibus, cujus gratia in aciem irruerim? Asinus ergo hic notat stolidos, qui in superba virium suarum cogitatione et aestimatione eliduntur et pereunt.

Antistrophus huic gnomae est apologus rhinocerotis et corvi apud S. Cyrillum, lib. II *Apolog. moral.* cap. XVIII, cujus titulus: *Contra superbientes ex robore.* « Superbus rhinoceros, inquit, maxime robore cornu sui inflatus, cum vidisset corvum super ripam quiescentem, praesumpsit eum vi mira cornu sui subvertere, ut se coram illo de gloria roboris ostentaret. Cum igitur hunc fulmineo ictu percussisset, petrae resistentis duritia impetum excipiens, acumen cornu fregit, et doloris pondere una cum luxato corpore, victum statim robur dedit. Cui deinde e tantis doloribus decumbenti, corvus cum risu objecit dicens: Rhinoceros frater mi, ubi est cornu praevaleidum tuum? ubi robur stupendum? nimirum quia in uno posuisti totum, uno perdito, mox amisisti et totum. Nescivisti parvam esse cujusvis virtutem corporis, nisi major simul adsit virtus animi? Tota namque (*Judic. XIV*) illa mira vis Samsonis non ab ossibus tantum, sed a spiritu erat in capillis. Virtutis autem spiritus humilitas est. Haec enim basis et fundamentum est corporis roboris et virtutum. » Unde epimythium sive fructum apologi colligit: « Crede igitur mihi, nihil superba validitate infirmius, nihilque humili debilitate potentius in hoc saeculo inveniri. Ferrum enim quanto durius est, tanto citius frangitur; et vitrum tanto facilius rumpitur, quanto amplius induratur. Verumtamen gutta mollissima saxum excavat, et teredo vermis tenerrimus lignum vastat; quin et spiritus fulmineus duriora destruit, molliora illesa relinquit. Arcus etiam quanto magis curvatur, tanto validius telum vibrat. Quo dicto, victum superbia unicornu dimisit. »

Nota: Animosos, impetuosos et violentos apte comparat tauris; quia inter animalia vix ullum est, quod ex cornibus ita audeat, ex viribus ita confidat, ex animo ita superbiat, ut taurus. Vide *Aelianum*, sub finem libri III. Igitur tauri uti fortes et toresi, ita pariter animosi sunt, iracundi et furibundi; hinc taurus est armenti et vaccarum dux: taurus enim est bos ad procreandum reservatus. Causam dat Aristoteles lib. II *De Partib. animal.* cap. IV, quod tauri sanguine, eoque fibroso et crasso abundant. « Timidiora (animalia), ait, sunt quibus sanguis dilutus nimium est: metus enim refrigerat; quamobrem quae exsan-

guia, timidiora sunt sanguineis, etc. Quorum autem sanguis fibris admodum multis crassisque refertus est, haec terrena amplius constant natura, et animosa, iracunda, proindeque tribunda sunt: ira enim calorifica est. Solida autem firmioraque omnia concallescunt, vehementius quam humidum calefaciunt; fibrae vero solidae terrenaeque sunt: itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, fervoremque per iram accendunt. Ex quo fit ut tauri et apri animosi iracundique furibundique sint: sanguis enim eorum fibris refertior est; et quidem taurorum sanguis omnium celerrime coit et durescit. »

Hinc Homerus Agamemnonem comparat tauro: est enim taurus symbolum regis, qui praecellit populo, sicut taurus armento, ut docet *Diogenes orat. 2*, apud Dionem. Hinc et Joseph, quia fratribus praecellens, princeps fuit in Aegypto, a Mose comparatur tauro: « Quasi primogeniti tauri, inquit, pulchritudo ejus; cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terrae, » *Deut. XXXIII, 17*. Ubi pro tauri Hebr. est שֹׁר *schor*, Chaldaice תֹּר *tor*; unde Latinum et Graecum *taurus*, Gallicum *taureau*, Hispanicum et Italicum *toro*. Hebraice enim dicitur *schor*, a rad. שָׁר *schor*, id est, intendere, extendere, et quod taurus corpus habeat distentum et plenum, sive quod oculos et aspectum habeat intensum, firmum et fixum; unde proverbium huic loco congruens: « Taurina phantasia, Tauricum tueri, id est, torve; » *Taurinus obtutus, » pro fixo, se-* vero, arroganti et feroci. Aristophanes in *Ranis*: « Itaque ore prono contuetur tauricum. » Et *Socratis* mos erat, teste Platone, taurinis oculis intueri. Virgilius quoque bovem torvam vocat: « Optima torvae forma bovis. »

Sensus ergo est, *q. d.* Non te extollas in cogitatione tua, quod putes te viribus, opibus, sapientia, amicis, famulis, etc., abundare, sicut taurus in phantasia sua ob robur se extollit, ut toti armento imperare et dominari velit, ne elidatur et confringatur virtus, id est fortitudo, graeca ψυχή, id est anima tua, puta animositas, animosa, superba, ferox et taurina cogitatio animae tuae, « per stultitiam, » qua insolenter superbis, et majora viribus tentas, ac in potentiores impingis, ideoque ab eis dejiceris, sicut eliditur tauri virtus, dum indomita stulte invadit tauros aequo fortes, vel fortiores se, a quibus vel vincitur et sternitur, vel certe vis ejus domatur et infringitur. Sic hodie videmus multos viribus naturae, ingenii et gratiae pollere, quibus magna praestare possent, si iis modeste et temperanter uterentur; sed dum iis insolescunt, et plura sibi arrogant, vel tentant, quam vires ferant, per stultitiam perdunt omne suarum virium et donorum decus, vim et efficaciam. Quo fit ut ipsa, scilicet stultitia, vel potius virtus, qua stulte abutuntur, comedat folia eorum, et fructus eorum perdat, hoc est, omnem eorum decorem (folia enim sunt

coma et decus arborum) et fructum, quem alias protulissent, evertat et tollat; ita ut virtus, quæ ipsos decorare et ditare debuerat, privet eos omni decore et fructu; sic ut iis nudati relinquuntur velut lignum aridum in eremo, scilicet, steriles, inglorii et ad nihil utiles, nisi ut eradicentur, et in ignem mittantur, ut ait Christus *Joan. xv, 6*. Alludit rursum ad taurum, qui indomita sua feritate arborum folia comedit, et fructus disperdit, atque arborem desolat, et relinquit velut lignum aridum.

Huic vicinum est adagium *cap. iv, 35*: « Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. » Porro superbiam vocat *stultitiam*: nam, sicut humilitas est sanitas animi; ita superbia est ejus insania: quia humilitas est veritas; superbia est vanitas, falsitas vanaque de se opinio, stultitia et insania.

Secundo, magis expresse et apposite hæc referas ad dissociationem amicitiae ex fastu et fastidio amici, de qua totus hic est sermo. Pro quo nota et audi Aristotelem, *lib. VI De Natura animal. cap. xviii*: « Taurus, inquit, cum tempus coitus adfuerit, tum demum incipit communibus cum vaccis pascuis uti, cumque reliquis tauris dimicat. Nam ante id tempus inter sese pascuntur: quod quidem appellant *ἀρκευαλεῖν* (quod aliqui vertunt *coarmentari*, quasi cum armento convenire; alii melius contrarie, *dearmentari*, vel *abarmentari*, id est, ab armento se segregare). Sane qui in Epiro sunt tauri, sæpe trium mensium spatio non apparent. » Hoc Festus vocat « negligere gregem; » alii, « abgregari, » quod proprium est taurorum. Unde proverbium: « Abiit et taurus in sylvam, » dici solitum in maritos superbos et fastidiosos, qui uxores deserunt. Item, in amicos tumidos et insolentes, qui amicum, cum eo frui fuerint, ejusque opes emunxerint, fastidiunt et derelinquunt; sed, sicut taurus armenta fastidians, et ex indomita libertate, fastu et feritate fugiens in sylvam, ibi sæpe ab aliis tauris, leonibus et ursis impetitur et eliditur (nam, ut docet Aristoteles *lib. IX Histor. animal.*, « a feris interimuntur tauri, ubi ab armento deerraverunt gregem relinquentes, gregisque divortia quærentes »): ita pariter, qui amicum deserit, in inimicos incidit, qui eum elidunt, expiant, et subinde occidunt.

Rursum, sicut taurus fugiens in sylvam disperdit folia fructusque arborum, easque desolatatas efficit et relinquit velut lignum aridum in eremo: ita pariter qui subditos et amicos, quos ex officio in vita sociali soliti erant pascere, alere, docere, regere, itaque in Ecclesia erant velut arbores frugiferae et foliis ornatae, hi, si eos temere et superbe deserant, fastidiant et fugiant, omni hoc fructu et decore se ipsos privant, omnique pristina gratia, utpote ad communem usum eis data, a Deo justo iudice privabuntur, eruntque velut ligna arida in eremo. Hominum folia, puta

ornamenta, sunt honor, gloria, amici, famuli, apparatus, splendor domesticus, etc. Horum omnium tinea est superbia, quæ hominis folia, velut vermis hederam Jonæ, exedit et devorat. Fructus hominis pii sunt opera sancta, quæ sunt merita cæli: hæc superbo pereunt, quia præterita nihil illi prosunt, futura parere nequit. Denique superbia relinquit hominem velut lignum aridum in eremo, desertum a Deo, angelis et hominibus.

Porro tauros a tauris in pugna vinci et elidi docet Virgilius *Georg. III*:

Nec mos bellantes una stabulare; sed alter
Victus abit, longæque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores,
Et stabula aspectans regnis excessit avitis.

Aristoteles quoque *lib. VI Histor. animal. cap. xx*, docet tauros victores, post coitum, quasi enervatos, a victis vinci et elidi. « Coit, inquit, qui vicerit; cumque is venere jam debilitatus languerit, aggredditur victus ille languentem, et plerumque superat. »

Hinc *tertio*, nonnulli hæc referunt ad effusam libidem divitum et potentum, *g. d.* Noli superbe et luxuriose grassari in tuos, tibi que subditos vel obnoxios, velut taurus potens et insolens, qui cum omnibus vaccis, prout ejus animæ, id est, phantasiæ et concupiscentiæ libuerit, miscetur: quia, sicut hic miscendo elidit et exhaurit suam virtutem ei robur; ita pariter et tu tuam virtutem exhauries. Nihil enim tam vires hominis debilitat et enervat, ac libido: per illam enim semen, quod est nobilissimus sanguis, ac cum eo optimi spiritus vitales excernuntur. Rursum libido omnia folia et fructus, id est, omnem hominis virorem, ornatum, virtutes et merita consumit et disperdit, eumque facit exsuecum, sterilem et marcidum, velut lignum aridum in eremo: superbiæ enim comes et filia est libido, æque ac humilitatis comes et filia est castitas. Talis taurus inter suos fuit spurcissimus Lutherus, ejusque asseclæ, adeo ut etiamnum inter feminas eorum hæc infamis et satanica audiat vox: Taurizanos. Vide Cochlæum, Sanderum, Surium, etc., in Actis Lutheri et posterorum. Verum est hic illud *Psalm. lxxvii, vers. 31*: « Congregatio taurorum in vaccis populorum. » Porro libido omnem veram amicitiam (de qua hic agitur) utpote quæ honestate nititur, dissuit et dissolvit: tantum enim ejus est probrum, tantus naturæ horror, tantum luxuriosorum fastidium, ut eam, quam ante ardentissime adamarant, jam a se vitiatam sæpe audire et videre non sustineant.

Denique in tauro representatur et vetatur arrogancia, libido dominandi, tyrannis, concupiscentia, insolentia, verborum asperitas, morum durities, barbaries, sævitia, crudelitas, feritas: taurus enim non agitur ratione, sed cogitationis

et phantasiæ suæ impetu, quasi percitus cestro et furtis agitatus; unde horrisonum mugit et boat.

4. ANIMA ENIM NEQUAM DISPERDET, QUI SE HABET (id est, eum qui habet animam nequam), ET IN GAUDIUM INIMICIS DAT (aliqui legunt *dedet*) ILLUM, ET DEDUCET IN SORTEM IMPIORUM, — puta, ad æternam miseriam et gehennam. Græcus concisus est, et sic habet: *anima enim improba disperdet possidentem se, et derisum inimicorum faciet se. Animam nequam, id est, non utcumque malam, sed egregie et insigniter malam (« nequam enim, ait Festus, dicitur quod ne tanti quidem sit, quam quod habetur minimi »).* Et Varro ex *ne* et *quidquam* media syllaba extrita derivat vocat superbam, fastidiosam, crudelem et luxuriosam, qualem jam descripsi. Unde Syrus verit, *anima dura* (crudelis) *disperdet vel corrumpet dominum suum, et latitiam inimicis ejus faciet eum*. Quocirca Siracides animæ duræ et taurinæ, quæ amicitiam dissolvit, opponit animam suavem et dulciloquam, quæ amicos et amicitiam consociat, dicens: « Verbum dulce multiplicat amicos. »

Moraliter notat hic tria gravissima damna, quæ sibi infert anima nequam et maligna: *primum* est, quod se disperdat per lapsum in crimen lethale; *secundum*, quod se det in gaudium et prædam inimicis, velut hominibus, quam demonibus; *tertium*, quod deducat eum in sortem impiorum, puta, in gehennam. Hujus symbolum est leo, qui, dum prædam venatur, in foveam et caveam sibi a venatoribus paratam incautus irruit, ilique eorum fit præda et ludibrium, teste Plinio *lib. VIII, cap. xvi*, et S. Gregorio *lib. IX Moralium, cap. xxxiv*; sic enim et superbus, dum prædari vult alios, præda fit ipse et risus demonum. Hoc est quod ait *Job cap. x, vers. 16*: « Et propter superbiam quasi lænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias. » Ubi vide S. Gregorium loco jam citato.

5. VERBUM DULCE MULTIPLICAT AMICOS, ET MITIGAT INIMICOS. — Docet modum parandi et conservandi amicos esse sermonis suavitatem, quam per antithesim apposite superbæ ostentationi et ferocitati taurinæ, quæ omnes avertit et evertit, subjicit. Græce, *guttur suave multiplicat sibi amicos*; Syrus, *os suave* (id est oris suavis, est Hebraismus et Syrisimus), *multiplicabuntur amici ejus*. Causam dat Palæcius: Quia verbum, inquit, est vehiculum mentis. Igitur in verbo dulci dulcis mens vadit, effluit et illabitur instar sacchari in animam audientis, eumque totum dulcedine sua penetrat, imbuat, allicit et in sui amorem rapit. Similiter et inimicus dulcedine verbi veluti musci concentus, audita, aures illi non occludit; sed aperit, ac per aures illud in mentem recipit, ejusque dulcedine, quasi melle omnesum fel, id est amaritatem, iram et odium, dulcorat, et ex inimico facit se amicum. Quare lingua dulcis est similis linguæ canis, quæ ulcera lam-

bendo dolores lenit, plagisque corporis medetur; simili enim modo plagis animi quasi lambendo medetur lingua blandiloqua.

Talis fuit lingua nostri R. P. Petri Canisii, Germanorum apostoli, qua multo Deo, et dissidentes invicem conciliavit, ut vulgo diceretur linguam Canisii instar canis animorum esse medicam. Unde Hussitarum in Canisium scomma:

Hinc procul esto canis, pro nobis excubat anser;

id est, Joannes Hus: Bohemi enim anserem vocant *hus*. Alludunt ad anserem, qui excubando servavit Romanos in Capitolio obsessos. Sic Orpheus dulci suo sermone quasi cantu dicitur movisse cautes et saxa, id est, saxea hominum corda. Idem fecere alii: « Movit Amphion lapides canendo. » S. Mechildis sua suaviloquentia omnes rapiebat, adeo ut putarent se angelum loquentem audire. Ita habet ejus Vita. Hanc autem suavitatem hauserat ex Deo et Christo crucifixo. Est enim Deus mare dulcedinis; ex hoc mari mentis et linguæ rivulus deductus, maris dulcedinem servabit. Excipe, quando improborum et obstinatorum vitia acrius sunt perstringenda, juxta illud: « Inrepa illos dure, ut sani sint, » *Tit. i, 13*. Hoc est quod in Sponsa poscit et commendat Sponsus *Cant. iv, 3*: « Sicut vita, inquit, coccinea, labia tua, et eloquium tuum dulce. »

Ratio a priori est, quod suavitatis et dulcedinis in omni rerum genere, naturæ accidat gratissima, eique melleum sit oblectamentum. Sic enim dulces saporibus palato, dulces melodiæ auribus, suaves colores oculis sunt gratissimi. Hoc est quod ait Ecclesiasticus *cap. xl, 21*: « Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. » Et Cicero *lib. De Offic.*: « Difficile, ait, est dictu quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. » Hinc Antalcidas rogatus, quo pacto quis maxime placere possit hominibus, respondit: « Si loquatur illis jucundissime; præstet autem utilissima. » Ita Plutarchus in *Laconicis*. Exemplo sit Abigail, quæ David ruentem in cædem Nabal mariti sui, sermone leni mitigavit, adeo ut, mortuo Nabal, eam in uxorem duxerit, *I Regum xxv*. Et David, qui simili suaviloquentia dulcoravit malignos Saulis spiritus. Et Gedeon, qui blando sermone lenivit et sopivit jurgia Ephratæorum, *Judic. viii, 3*. Mellitus enim sermo mellitam parit responsum. Unde Sponsa suaviloquium suum hausisse se docet ex suaviloquio Sponsi: « Guttur, inquit *Cant. v, 16*, illius suavissimum, et totus desiderabilis; » et *cap. ii, 3* « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo; » hoc est: « Sermo illius dulcis est fructus. » ait Gregorius Nyssenus *orat. 4 in Cant.*

ET LINGUA EUCHARIS IN BONO HOMINE ABUNDAT. — Ita Romana. Retinuit Interpres vocem Græcam *εὐχαρισ*, id est *gratiosa*, uti nonnulli codices legunt. Aliqui pro *εὐχαρισ* legunt *εὐλόγος*, id est *eloquens*,

diserta. Hæc « abundat, » scilicet *χέρει*, id est gratia, quæ continetur in voce *εὐχρησ*, quia conciliat sibi omnes, omniumque sermones et corda. Hinc rursum. « abundat, » id est, abunde fert fructum, ait Emmanuel Sa; unde Græca expresse et clare habent: *ῥέωσα εὐχρησ πληθύνει ἐπιπροσηγορα*, id est, *lingua gratiosa multiplicat bonas loquelas*; Jansenius, *sermones affabiles*; Romana, *lingua beneloquens multiplicabit bonas salutationes*; Tigurina, *lingua disertata plurimas salutationes consequitur*; Syrus, *labia justorum, salutatio (salutis et pacis apprecatio); et salutatores (qui pacem tibi precentur) tui multi erunt*. Significat ergo sermonis suavitatem esse illicem salutationis et affabilitatis, ut multi suaviloquum sequantur, saluent aveantque cum eo miscere sermones et suaviter colloqui, ac suavitatem suavitati rependant, ut, quod Comicus dixit: « Si maledixeris, pejus audies, » invertere hic liceat: « Si bene dixeris, melius audies. » Huc facit illud Salomonis *Proverb. xv*, vers. 1: « Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitatur furorem. » Et vers. 4: « Lingua placabilis, lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum. » Et vers. 18: « Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas. »

6. MULTI PACIFICI SINT TIBI; ET CONSILIARIUS SIT TIBI UNUS DE MILLE. — *Pacifici*, Græce non est, *εὐρηνοποιοί*, id est qui pacem faciant, et discordes concilient; sed *εὐρηνοῖτες*, id est, in pace degentes, pacem servantes, *q. d.* Cum multis, id est, cum omnibus, quoad potes, pacem cole et serva; at consilarii sint tibi selecti, pauci et rari, adeo ut ex mille unum deligas, qui tibi sit a consiliis; quia pauci sunt prudentes, pauciores experientia pollentes, paucissimi secreta et fidi, qui sincere et ex corde te ament, nec nisi tuum bonum quærant, juxta illud Salomonis *Ecclesiastæ vii*, 29: « Virum (cordatum, fidum, sapientem, constantem) de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni. » Et *Proverb. cap. xx*, vers. 6: « Multi homines misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inveniet? » Unde Græce est, *consilarii tibi sint unus e mille*; Syrus, *secreti tui conscius unus ex mille*; Vatablus, *fac benevolos habeas multos, at unum de mille consiliarium*. Huc pertinet illud Sapientis dictum: « Esto comis omnibus, familiaris paucis, blandus et blandiens nemini. » Et Theognis: « Tu, inquit, ne cum amicis omnibus communica; pauci sane ex multis fidelem habent mentem. » Siracidi concinit Ben-Sira *Alphabeta 2*, litt. *guimel*, dum ita sancit: « Patefac arcanum tuum uni e mille; licet multi fuerint qui pacem tuam quærant; » qui, scilicet, tibi bene cupiant, tibi que sint benevoli. Et istud Hesiodi: « Neque nullis sis amicus, neque multis, » quod citat Aristoteles lib. IX *Ethic. cap. x*, causamque dat: Quia, ait, citra ullius amici consuetudinem vivere injucundum et ferinum esse videtur. Rursum, nec vehementer amare possu-

mus simul multos, nec pluribus morem gerere. Unde ait: « Multis amicus, nemini amicus. » Lucianus in *Toxaride* narrat apud Seythas *πολυφίλων*, id est, complurium amicitiam, non aliter infamem fuisse, quam apud alias gentes polygamiam, id est, pluralitatem uxorum. Qua de re tamen diversum sentit Cicero, lib. *De Amicitia*, et alii nonnulli.

Utramque sententiam et utrosque auctores conciliet, si dicas tres esse gradus amicitiae. *Primus* est generalis, qui multos, imo omnes, satagit habere amicos. Unde Div. Thomas, II II, *Quæst. CXIV*, ait amicitiam esse affabilitatem; quæ virtus est specialis, qua quis se omnibus comem præbet et affabilem. Hos Siracides hic vocat *pacificos*, pro quo Auctor *De Salut. docum.* apud S. Augustinum, cap. vi, legit *amicos*: « Amici, ait, tibi sint multi, sed consiliarius unus. » *Secundus* est particularis, qui paucos complectitur. *Tertius* singularis, qui paucissimos. Igitur amor naturalis et supernaturalis, puta charitas, dicitur communem et generalem amicitiam posse et debere amplecti multos, imo omnes, quoad fieri potest: strictam vero et specialem esse singularem, et unum duntaxat, aut duos tresve ut summum complecti. Benevolentia ergo est erga multos; amicitia vero erga paucos, juxta illud Diæarchi apud Plutarchum, initio lib. IV *Sympos.* « Omnium tibi benevolentiam concilia; amicitiam autem cum bonis inito. »

Ratio a priori est, *prima*, quod affectus et amor hominis sit finitus, valdeque limitatus et exiguus; quare, si in multos dividatur et spargatur, erga singulos imminuitur, nequitque esse singularis, intensus et eximius. Unde Plutarchus, lib. *De Multitudine amicorum*: « Sicut fluvii, ait, in multos deducti rivos, leviores habent cursum; ita vehementer amor in multos dispersus, haud dubie marcescit. » Perinde ac calor collectus in furno, vel hypocausto, aperto ostio vel fenestra, in aerem dispergitur et evanescit. Hinc et parentes, qui unam duntaxat habent prolem, eam vehementissime amant, utpote amore in unum collecto: si deinde plures generent, amor hic minuitur, et in plures spargitur.

Secunda, quod amicitia singularis sit summa; amicorum unio: hæc autem inter plures consistere nequit, tum quia plura essentialiter uniri nequeunt, sed accidentaliter tantum coagulantur, ut lapides in fabrica domus; tum quia inter plures varii et sæpe diversi, imo contrarii sunt affectus, indoles, sensus, judicia, quæ in unum coire nequeunt: quot enim capita, tot sensus, tot affectus, tot judicia; diversitas autem affectuum, æque ac judiciorum, valde diluit et infirmat amorem et amicitiam: « Nam, ut ait Plutarchus libro jam citato, origo amicitiae est ex similitudine morum, affectuum et judiciorum. Quis vero instar polypi vel Protei est ita mutabilis, varius et laboriosus, ut se multis similem

reddere et accommodare possit, aut velit? Amicitiae est mores, affectus, sermonem, studia et animi sensum exæquare. » Hæc Plutarchus.

Tertia est, quam dat Auctor *De Amicitia* apud S. Augustinum, cap. xi, quod amicus amico sit intimus: « Cum amicus tui sit consors animi, inquit, cum spiritui tuo jungas et applies, et ita misceas, ut unum fieri velis ex duobus; cui te tanquam alteri tibi committas, cui nihil occultes, quo nihil timeas; » hinc non nisi rarus esse debet, isque bene probatus et perspectus.

Quarta dat Aristoteles lib. IX *Ethicæ*, cap. x, quod pluribus amicis convivere, subministrare, succurrere, satisfacere difficile, ac sæpe impossibile sit, dum non raro cum altero collatandum, cum altero condolendum sit. « Neque enim, ait, fieri posse videtur, ut multis vehementer amicus quispiam sit, neque ut plurium amore sit captus: exsuperatio enim amicitiae quædam esse consuevit: id autem erga unum est; et vehementer igitur (amare) erga paucos quoque erit. »

Quinta dat hic Siracides, quod consilarius non possint esse multi, sed unus de mille: tum quia inter plures non servatur secretum; tum quia difficile est plures reperire tantæ prudentiæ, integritatis, recludinis, virtutis, quanta requiritur in consiliario, præsertim principis, vel ejus qui rem plurium administrat. Quomodo enim, ait S. Ambrosius libro II *Officior.*, potero judicare eum consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Quomodo credam illum ratione agi, qui passionibus et affectibus agitur? Quomodo ei mea credam, qui sua lucra aucupatur?

Sexta. *Sextam* dat Plutarchus, lib. *De Multitudine amicorum*: « Etenim, inquit, ad genuinam amicitiam tria requiruntur potissimum: virtus, ut pulchrum; consuetudo, ut jucundum; usus, ut necessarium: nam et cum judicio recipiendus est amicus, et consuetudo læta esse debet, et usus occasione exigente promptus, quæ omnia multitudini amicorum adversantur. » Et inferius probat idipsum ex dicto Pythagoræ: « Ne multis manum injicias, id est, ne multos facias amicos. » Additque: « Oraculum Timesiæ de colonia duenda quærenti responsum fuit: Quære examina apum, vesparum, et habebis abunde. Ita, qui amicorum greges quærunt, incauti in inimicorum examina incidunt. » Denique idipsum patet in amicitia cum Deo; Deus enim solus et singulariter vult amari a nobis ex toto corde, ita ut nihil amemus nisi ipsum, vel propter ipsum, juxta illud Sponsæ *Cant. ii*, vers. 16: « Directus meus mihi, et ego illi qui pascitur inter lilia. Hinc, quo magis quis mentem et amorem abstrahit ab hominibus rebusque creatis, eo magis se unit Deo, eique carior et intimior amicus efficitur. Unde S. Egidius, socius S. Francisci, rogatus qua ratione quis ad perfectionem virtutis et amoris perveniret, respondit: « Una ad unum, »

q. d. Una anima uni Deo in totum se per fidem, spem, charitatem et contemplationem astringat, ut cum S. Magdalena audiat illud Christi: « Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » *Lucæ. x*, 42.

In hanc gnomen ingeniosum erinacei et viperæ apologum acutis eruditisque gnomis sententiosum scripsit Cyrillus lib. I *Apolog. moral. cap. xix*, cujus titulus: *Esto amicus cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis*. « Spinosum erinaceum cernens viperula, corticem ejus mirata dixit: Tu quis es? Cui ille: Fidelis amicus; nam amicus is est, qui una tecum est anima; at verus est, cui, si multum adhæseris, pungit. Nam qui vere diligit, in lusibus etiam corripit; et qui in facinoribus blanditur, odit. Ad hæc viperula dixit: Placet certe satis, quod amicitia sit intima unitas cordium; quod vero veritas ejus spina sit, minus placet: vera namque dilectio non in superficie, sed in re; non in asperitate, sed in tranquillitate datur. Nonne spina de radice maledictionis processit? Tunc erinaceus punctus hac invectiva subjunxit: Scio, carissima, quod amor et odium in sola substantia radiceantur; unde in venenosa et halitate tua generalis inimicitia est, et in medicinali tua virtute amicitia est communis. Attamen dilectionis veritas falsitasque subjectæ substantiæ notantur ex cortice. Verus enim amor deforis pungit, et muleet intus; foris est acer, et intrinsecus dulcescit; exterius percutit, et interius medetur: est enim quasi medicina amara. Nam, ut Aristoteles scribit, diligit quasi odians senex. Et fidei David amatori dictum est, quod se oderat diligendo se. » Signa deinde ficti amoris hæc profert: « Fictus enim amor oculorum nitet in lumine, sapit in ore, muleet in aure, ridet in facie, placet in cute; intus tamen est venenum Sardinæ, quia nimirum quos perimit, risu perire facit. » Sunt enim qui dicunt in Sardinia herbam nasci dictam Sardoam, quæ sapore dulcis, gustata tamen ora hominum in rictus dolore contrahit, indeque dictum risum Sardonicum. Ita Solinus et Servius in illud Virgilii, *Ecol. vii*:

Imo ego Sardois videor tibi amarior herbis.

Pergit erinaceus: « At forte depicto cortice gloriaris? nempe basilisci rutilat oculus et occidit; scorpio prius lingit quam percutit, et dum ore blande cutem emollit, caudæ venenosum aculeum pestilentius figit. Sirena suaviter cantat, ut navitam stupefactum per naufragium devoret; et ubi magis periculosus est transitus, ibi aquæ facies plus arridet. Spina ergo erinacea verus et sensatus amicus est, et pictura viperæ fraudulenta. » Subdit deinde viperam ab erinaceo fœdus amicitiae postulasse. « At ille (erinaceus) respondit: Ego certe amicus sum cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis. Nam qui non omnes diligit, nullatenus ex virtute amavit. Et qui est intimus pluribus dilector, nullus est magnus; mi-